

qualiter in Iride appareant intelligatur. Hoc autem dico quod, quo partium radii in gyrum rotatio magis processum versus rectam lineam vincat, eò fortius rubeat color, quo verò processus circumgyrationi provaleat tantò ille magis ad nigredinem vergat, ubi autem circumvolutio aut nulla aut æqualis processui ibi nil nisi lumen vel album notare liceat. His itaq; absolutis eadem proposito nostro aptemus. In Iride quatuor animadvertuntur colores ut jam superius mentio facta est. Altissimus est ille, & in exteriori arcus peripheria existens, qui dicebatur Puniceus. Hic fit quia partes radij multo celerius circumrotantur quam procedunt. Secundum qui marginis locum occupat est ille quem flavum appellavimus, is gignitur quia earundem partium circumrotatio est paulo celerior quam processus. Tertius est viridis qui proficiscitur à circumrotatione quæ processu paulo est tardior. Quartus in concavo qui visitur est cæruleus; hic ex circumvolutione quæ processu multo est tardior, ortum suum trahit. Ne autem dubitare detur, utrum hujusmodi modificatio luminis unquam contingat, fat dilucide eandem demonstrat Doctiss. des Cartes tract: de Meteor: cap. 8. quod quominus hic fiat angustia pagellarum in causa est.

SECTIO QUARTA DE CAUSA FIGURÆ IRIDIS ARCUM REPRESENTANTE.

Hoc probari nisi Geometræ adjuverint (inquit Sen lib. .n.q. e.5.) non potest, qui argumentis nihil dubij relinquentibus docent, quæ docent, & à quibus (ut idem habet d.l.c.4.) pro hac re adferuntur rationes quæ non persuadent sed cogunt: quas quia antiqua philosophorum turba neglexit, factum ut varie hac in materia eludertur quod idem videre licet ex proxime citati auctoris d.l.c. 6. item Fromondo lib 6 meteor: c.1. art.3. Cur autem Iris sub femiarco ultra citrave videatur genuina causa elucescet si concedatur certum esse. I. Non cadere Iridem sub aspectum nostrum, nisi & aliquod vaporis punctum & oculus sint in eadem linea recta quæ postmodum fit axis pyramidis vel potius Coni aut illuminationis cum reflexione simul, si etiam Sol fuerit cum oculo in eadem prædicta linea, aut tantum reflexionis si Sol non cum oculo & centro Iridis in eadem linea
fed